Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1149
Quelle:
Copyright:

contentione Codicis cum vulgatis ejus Scriptis constare posset. Negat ille in *Apologia* edit. *Operum Paris.* 1616. 4. praefixa: reperiri Librum aliquem a se scriptum, qui *Sententiarum* dicatur. Quomodo igitur *Bernardus Capitula* contra illum scripta et ad *Innocentium* II. missa ita concludere potuit: *Haec autem capitula partim in libro Theologiae Magistri Petri, partim in libro* Sententiarum *ejusdem, partim in libro, cui titulus est, Scito te ipsum, reperta sunt?* Citat *Abailardus* haec ipsa verba; ego vero illa in *Bernardi* edit. *Paris.* 1690. T. II. *col.* 640. et *seqq.* non inveni.

Egregium Codicem postice munit mancum quidem Diploma, quo *Albertus* II. Episcopus *Frisingensis* e Comitib. *de Hohenberg* a. 1350. *honorabilem Virum Vlricum Pincern* — — in possessionem mittit *Capelle sancti Leonhardi per mortem honorabilis viri Nycolaij Prepositi Monasterien.* vacantem. Fundaverat et dotaverat eam *Henricus* I. Ep. qui obiit a. 1137. et ad eam condi voluit. Vide *Meichelbeckii Hist. Frising.* T. I. P. I. qui P. II. p. 535. etiam Donationes recitat.

CCCCLXIII.

R. 1120 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 127. f. min. eleganter exaratus, literis initiorum auro, coloribusque variis, et rubricis distinctus, olimque Collegii S. J. *Vienn.* hunc titulum praefert: *Incipit prologus libri de sacramentis. ab initio usque ad finem in unam seriem dispositis.* Autor, qui tacetur, est *Hugo de S. Victore* Can. Reg. defunctus a. 1140. cui igitur Codex praesens aetate par esse possit. Initium Prologi est: *Librum de sacramentis christianę fidei studio quorumdam scribere compulsus sum.* &c. Hic tu per *Sacramenta* non Sigilla novae legis gratiam conferentia, sed universa Religionis nostrae Mysteria, atque adeo totam paene Theologiam dogmaticam intellige, quam *Hugo II. Libris* complexus est. Hi *Libri* in *Partes*, hae vero in *Capita* abeunt. *Liber* I. qui solus hunc Codicem implet, *Partibus* XII. definitur, atque harum Elenchus continuo Prologum subsequitur. P. I. C. 1. breve Praefamen habet hujus exordii: *Cum igitur de prima eruditione sacri eloquii, quę in historica constat lectione, compendiosum uolumen prius dictassem* &c. Vides Autorem innuere Tractatum suum *de Scripturis et Scriptoribus sacris*, cui proinde noster *de Sacramentis* pone subire deberet. At vero Editores *Operum Hugonis Rothomag.* 1648. f. eos ita divulsere, ut ille quidem *Tomum* I. auspicetur, hic autem *Tomum* III. seu postremum terminet. Contuli quodamtenus editionem mox memoratam cum Codice, vidique eam nostris e lectionibus perfici posse. Ita v. g. in illo Praefamine Edita *in quo si fundamento*, Codex *in quo quasi fundamento.* Ed. *ut animus aliquid*, Cod. *ut animus legentis aliquid.* Cap. 2. Ed. *sive iis quae subsequun-*